

24  
SELECTIORES  
SCHOLASTICO DOGMATICÆ THESES,  
EX SENTENTIARUM LIBRIS  
JOANNIS DE BACCONE EXCERPTÆ,  
QUAS

PUBLICÆ OFFERT DISPUTATIONI

FR. FRANCISCUS SANCHEZ,

PHILOSOPHIÆ LECTOR,

SUB PRÆSIDIO

A. R. P. M. FR. JOSEPH GARCIA,  
Sacrae Theologiae Doctoris, in Conventibus  
Ergavicensi, & Bilbilitano olim Prioris,  
necnon Novitiorum Magistri.

IN COMITIIS PROVINCIALIBUS  
CÆSAR-AUGUSTÆ CELEBRANDIS.

LOCUS CERTAMINIS  
ECCLESIA CONVENTUS CÆSAR-AUGUSTANI,  
ORDINIS CARMELITARUM,

DIE XXV. MENSIS APRILIS ANNI MDCCLXXIX.

PUBLICA AUCTORITATE.

CÆSAR-AUGUSTÆ : Excudebat FRANCISCUS MORENO,  
Academiae Typographus.

R. 6401

F-15

10-16

RESC/978

A -

T -

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



# MIRABILI VIRGINI DE MONTE CARMELO.

**V**irgo Dei Genitrix , Carmeli Gloria Montis,  
Cui Rector Superum dedit artes mille juvandi,  
Suscipe Sancta Parens , nostri fiducia catus,  
Quas Tibi Filiolus sacras vult edere Theses.  
; Quem nisi te , Virgo , mitem decet esse Patronam  
Illarum , seroque Tui , qui Dogmata sancta  
Hæreticos contra propugnaturus adiuit  
Virginis auxilio , de qua pendere videntur  
Aurati clypei bellantum , scutaque mille,  
Turris ad exemplum David , cui vana putantur  
Tela per infestos hostes dimissa furentes?  
Tu , quæ lethiferi quondam , seroque Draconis  
Sub pede calcasti durum caput , atque superba  
Colla premis jaculo ; fac me virtute superna  
Funditus Hæreticos fidei prosternere telis.  
; Num fidei nostræ poterit turbare quietem  
Improba Religio , rabidi vel Dæmonis astus,  
Dummodo Virgineo cingantur Dogmata Muro?  
Improbis incassum tentat Nestorius olim  
Virginis intactæ laudes , & Matris honorem  
Eximium delere Dei : jam quippe vocati  
Conveniunt Ephesi Patres , urgente Cyrillo;  
Res agitur , magnisque sonant clamoribus Ædes  
Patrum , qui tantæ celebrant , & jura tuentur  
Virginis , & Matris : mox cælo vindice vermes  
Os Homini rodunt , fauces , & viscera torquent.  
; Quid juvat Helvidio sacratam Virginitatem  
Perpetuo illæsam vanis voluisse Cavillis


Pellere ; si Capuæ cætus Commenta retudit,  
Et bellis crescunt puræ præconia Matris,  
Virginis , & Matris juncta uno sædere Palma?  
Quid juvat in vestrum niti consurgere cultum  
Innumeros hostes ; si Tridentina Corona  
Patrum , præ reliquis Matri decrevit honorem  
Præcipuum , sanctis aliis hucusque negatum?  
Thesibus hisce meis geminatos solvere nodos  
Difficiles opto ; sed me labor iste juvabit,  
Si tua descendat , Virgo , benedictio larga  
In servum sacro fissum Scapularis amictu.  
Te precor elinguem facias nunc esse disertum;  
Da facili sulcare via , da nubila claustra  
Doctrinæ penetrare sacrae caligine mersa.  
Sic ego vitalis fragiles dum corporis artus  
Aura reget , celebri semper Tua maxima laude  
Facta canam : summi Te namque potentia cæli  
Prædicat ; immensi Te laudat machina Mundi  
Omnis , & Aeternum propria est Tibi gloria in ævum.

Tibi ergo Sanctissimæ Mariæ Virgini de Monte  
Carmelo , Carmelitici Ordinis Pientissimæ Institu-  
trici ac Patronæ singulari , in perpetuæ servitutis  
argumentum, has Theologicas Theses D. O. C.

Obsequentissimus Filius

FR. FRANCISCUS SANCHEZ.





## DE PROÆMIALIBUS.



Erum divinarum scientiam, quam græco vocabulo Theologiam nuncupamus, de Divinitate rationem, sive sermonem esse intelligimus; sed quoniam multipliciter de Deo sermo potest institui, multiplex exinde Theologiæ acceptio ortum duxit. Triplex extitit apud Ethnicos naturalis Theologia: Mythica, seu fabulosa, qua utebantur Poetæ ad Numinum suorum res gestas vario carminum genere recitandas; alia naturalis Physica, qua Philosophi de natura Deorum, eorumque operibus discebant: tertia demum civilis, quæ urbium incolas, & maxime Sacerdotes in ritibus ac sacrificiis perficiendis erudiebat. Sacra vero, & supernaturalis Theologia vel Beatorum est, quæ ope luminis gloriæ divina percipit; vel viatorum, quam nonnulli divinitus animo illapsam habuerunt, & dicitur infusa; cæteri autem nonnisi magno studio, ac labore comparant, & dicitur acquisita.

Argumentorum autem habita ratione, trifariam hæc passim dividitur; in eam scilicet, quæ Positiva; in aliam quæ Scholastica; atque in tertiam quæ Mystica nuncupatur. Eo differunt Theologiæ istæ, quæ natura sunt prorsus idem, quod Positiva à Scripturis duntaxat, & Conciliorum, Patrumque traditione pendet: Scholastica latiore excurrens campum, rationis humanæ, Philosophiæ, aliarumque scientiarum opem, non respuit: Mystica vero, de spirituali vita speciatim disputans in spiritus argumentis, velut in subjecta materie versatur. Mitto alias Theologiæ partitiones cuique notissimas, in Polemicam nempe, Dogmaticam, atque Adiaphoram.

Hæc



Hæc igitur sacra Doctrina, per quam fides saluberrima, quæ ad veram ducit beatitudinem gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, (a) secundum substantiam accepta est Ecclesiæ simpliciter necessaria; scholastica vero, quæ strictiori methodo instructa, naturali ratione obstetricante ex fidei veritatibus necessarias consecutiones deducit, ipsi est valde utilis: quod si hæreticis, ac præprimis postremorum temporum Novatoribus invisa est, non mireris; nam ipsi instar Furiosorum, ac Phræneticorum mordent, roduntque ligamina quibus salubriter constringuntur. In acceptione quadam lata dici potest scientia, & sapientia; speculativa simul, & practica virtualiter: scientiæ Beatorum proprie non subalternatur, neque apud ipsos locum habet. Objectum ejus materiale est Deus ipse, ac divina omnia, quæ Deum respiciunt vel ut Authorem naturæ, vel ut gratiæ, sive etiam gloriæ largitorem: formale vero est virtualis ac mediata revelatio. De Theologicarum propositionum natura, atque itidem de notis, sive censuris, quibus contrarii errores configi solent, in Circo.

### *De Locis Theologicis.*

#### II.

**L**ocorum Theologicorum nomine intelliguntur fontes quidam, ex quibus Theologus eruit argumenta, quibus utitur vel ut fidem explicet, vel ut adstruat morum regulas, vel ut tum fidem, tum etiam morum præcepta vindicet ab hæreticorum hominum, aliorumque etiam Catholicorum proprio genio indulgentium corruptelis. Hi porro fontes communiter assignantur decem: I. Sacra Scriptura. II. Traditio. III. Ecclesiæ autoritas. IV. Concilia. V. Summorum decreta Pontificum. VI. Patrum autoritas. VII. Theologorum, & Juris Pontificii DD. scita. VIII. Ratio naturalis. IX. Philosophorum placita. X. Tandem humanæ autoritas historiæ. Nec tamen diffiteri possumus, omnes ad ternarium numerum posse redigi; ad revelationem, scilicet, quæ verbum Dei scriptum, ac simul traditum, sive de aure in aurem transmissum continet; ad Ecclesiam, quæ Scripturarum, & traditionis est interpres, & ad rationem; ex

(a) D. Aug. Lib. 15. de Trinit. cap. 1.



hiscē tribus locis ceteri descendunt ; sed quoniam communī Theologorum calculo prima partitio probatur eisdem & nos libenter subscribimus, deque eorundem certitudine ex ordine dicemus.

## *De Sacra Scriptura.*

### III.

**S**cripturam Sacram ex novo, ac veteri Testamento conflata merito *litteras*, & *Epistolas Deo dictante exaratas*, & *ad homines missas*, dixit Chrysostomus : (a) Quamobrem ejus in libris, tum veteris, tum novi Testamenti, quorum indicem Tridentina Synodus concinnavit: Sess. IV. divinam esse auctoritatem, tamquam pro aris ac focis propugnamus : illorum nonnulli Proto-canonici dicuntur, de quorum authentia numquam dubitatum est ; alii Deutero-canonici, de quibus aliquandiu dubitatum est, sed postmodum canonicis fuere ab Ecclesia superadditi. Dolendam, igitur, potius quam revincendam eorum pertinaciam esse dicimus, qui sacros discernere Codices, ipsorum texere Canonem, atque de illorum sensu judicare, non ad Ecclesiæ Tribunal; sed ad arcanum privati spiritus testimonium spectare comminiscuntur. Deus porro principalis est Author sacrorum Bibliorum ; ita tamen, ut Hagiographis scriptoribus sententias, verba, ordinemque ille quidem dictaverit, ipsi vero conscripserint.

## *De versionibus Sacræ Scripturæ.*

### IV.

**O**mnes divini Libri veteris Testamenti Hebræorum lingua ab initio sunt conscripti, & in hoc nobiscum consentiunt omnes : inquit Chrysostomus ; (b) conveniunt, & Theologi, si demas Tobiam, Judith, Esdræ, Danielis, & duos Machabæorum, libros quos chaldaice exaratos : ultimum vero græce conscriptum autumant eruditi. Libros vero novi Testamenti dicunt originaliter fuisse græce compositos, præter Evangelium Matthæi, &

---

(a) D. Chrysost. Homil. 2. in Genes.

(b) D. Chrysost. Hom. 4. in Genes.

& Epistolam ad Hebræos, quos lingua Syriaca, tunc Hebræis usitata dictatos volunt: addunt nonnulli Evangelium Marci Romæ primum fuisse latine conscriptum, cujus Authographum Venetiis asservari perhibent, cætera vero omnia periisse nulli dubium est; quapropter de Apographis, sive exemplaribus nobis est differendum. Eloquens Deus olim Patribus, in Prophetis, solis tunc Abrahæ posteris sua volens oracula credere, paternam id est Hebræa lingua ipsos affatus est: at quando venit plenitudo temporis, quo Deus ostensurus erat se non Judæorum tantum Deum esse, verum & Gentium; quando, inquam, de novo fœdere condendo agebatur, decebat divina referari mysteria, cunctisque Gentibus proprio sibi idiomate innotescere; ea propter altissima divini consilii dispensatione factum est, ut jam ante Salvatoris adventum, curante Ptolomeo Philadelpho, opera vero LXX. Seniorum Libri Sancti ex hebræo fonte in græcam linguam toto orbe notissimam derivarentur: hanc versionem à LXX. Senioribus singulari Dei providentia, nec absque miraculo factam SS. PP. crediderunt, quare temeritatis, atque intemperioris criticæ arguuntur quotquot ipsam explodere non verentur.

Ab ipsomet Apostolorum tempore, ac deinceps innumerae Bibliorum versiones prodire: ac primo Aquila Ponticus anno 130. suam molitus est græcam translationem; aliam Theodotion Ephesinus Tatiani hæretici discipulus, circa annum 184. alteram Symachus, circa annum 200. adornarunt: adsunt & alia, ut Æthiopica, Armenica, Coptica, sive Ægyptiaca circa tempus Concilii Nicæni concinnata, Persica, cujus meminit Theodoretus, Gothica ab Ulphila Gothorum Episcopo; sed omnes minoris sunt auctoritatis, si cum LXX. Interpretum versione comparentur.

Inter versiones latino sermone conscriptas licet innumerae illæ fuerint, ut author est Augustinus; (a) tamen duæ præcipue commendantur: prima est illa quam ipse vocat Italicam, S. Hieronymus communem, S. Gregorius veterem, Orosius denique, & alii passim vulgatam: altera vero est quam adornavit S. Hieronymus, qui Novum Testamentum græcæ fidei reddidit, & vetus juxta Hebraicum transtulit: processu temporis ex  
his

---

(a) D. August. *Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 11.*



9  
his duabus versionibus una conflata est, quam modo Vulgatam  
apellamus, quamque Tridentinum authenticam declaravit, adeo  
ut nemo quovis prætextu eam rejicere audeat vel præsumat:  
hanc ab omni prorsus errore fidem, aut mores spectante immu-  
nem esse contendimus; nec audiendum esse dicimus Paulum  
Sarpi, qui sub Petri à Suavi larva hanc popularem, ac tritam  
deducit consecutionem: *Editio vulgata est legitima, & authen-  
tica: ergo omnes aliæ male sunt, & rejiciendæ.* Fontes aut mi-  
nime consulendos, aut rejiciendos perperam colligunt Novato-  
res; nam Tridentini PP. fontium non meminere, ac solummodo  
inter tot latinas editiones unam probavere tamquam legitimam,  
& suo archetypo apte convenientem.

### *De Sensibus Sacræ Scripturæ.*

#### V.

**S**ensus Scripturæ is dicitur, qui per Scripturam significatur;  
quoniam vero Scriptura Sacra à Deo ipso est, cujus infinita  
sapientia unico signo, & voce res plurimas potest significare, fit  
non raro, ut unica vox, aut sententia sensus plures, eisdemque  
admodum diversos contineat: rursus quoniam in Dei arbitrio si-  
tum erat res etiam ipsas ad significandum instituere, accidit  
frequentissime, ut vox, aut sententia aliqua non modo rem sig-  
nificet ad quam proprie significandam instituta est; sed per  
rem ipsam significet etiam res alias, easque plures, & quidem  
valde diversas, ad quas significandas res illa à Deo est ordinata:  
atque hinc oritur prima sensus divisio in litteralem, & mysti-  
cum: priorem dicimus immediatum, quem verba cum suis no-  
tionibus conjuncta, & ad res suas immediate significatas com-  
parata, prima quasi fronte exhibent; posteriorem mediatum,  
quem res ipsæ tanquam aliarum rerum figuræ designant. Atque  
iterum sensus hic triplex est; tribus Theologicis virtutibus cor-  
respondens, nempe allegoricus fidei, anagogicus spei, ter-  
tius denique moralis correspondens charitati; si horum exem-  
pla quæras plura dabimus; simulque nonnullos canones pro  
recta Scripturam interpretandi ratione ex Sancto Augustino de-  
promptos.





## De Traditione.

## VI.

**P**Ræter verbum Dei scriptum, quod Scripturam Sacram appellamus, aliud fuit quovis tempore necessarium non scriptum, ex quo divina, ac infallibili auctoritate dirimerentur controversiæ, quæ tum circa Scripturam, tum circa alia fidei ac morum dogmata emergerent, & ex verbo Dei scripto satis diluï non possent: & hoc intelligimus nomine Traditionis, quæ profecto si strictius sumitur est *Doctrina, ab uno in alium, viva voce transmissa*. Dividitur autem multipliciter; nam si Authorem spectes dividitur in Divinam & humanam, si traditionis rationem in necessariam, & arbitrariam, in temporalem, & perpetuam, in mutabilem, & immutabilem; si ipsius materiem, in eam quæ circa fidem, & mores; in aliam, quæ circa Discipulinam; in tertiam denique, quæ circa ritus, & cæremonias versatur. Traditiones ergo divini, quæ ipsius Christi ore Apostolis commissa, vel Apostolico Divinæ, quæ ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante profectæ sunt, & ad nos usque, quasi per manus traditæ pervenerunt, Verbum Dei continent, atque infallibilis sunt fidei regula.

Ne autem nostras, vel quascumque indiscriminatim Pharisæorum instar, traditiones, quasi Divinas, aut Apostolicas venditare credamur, has regulas pro illis dignoscendis subjicimus. I. Si quid est in Ecclesia antiquitus, & communiter probatum, quod tamen humanam excedit Potestatem, & in sacris litteris non invenitur, dicendum est, illud ex Divina traditione descendere. II. Si quod est in Ecclesia Catholica Dogma, quod ab initio tenuerint PP. & contrarium dixerint hæresim, atque hoc ipsum Dogma in sacris litteris non invenitur, erit ex Traditione divina. III. Si quæ praxis ab universa Ecclesia ab initio servatur in rebus, quæ sunt ex institutione divina, cujus mentio non fit in Scripturis, erit ex Traditione Apostolico-Divina. IV. Si quem morem, post Christi Domini ad coelos ascensum, universa ab initio servat Ecclesia, hunc ab Apostolica traditione descendere credendum est. V. Id sine dubio credendum est ex Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, ubi ab Apostolis est continuata successio, maxime si adsit Romanæ Ecclesiæ probatio, atque consensus. VI. Quæ



consuetudines sunt in Ecclesia, antiquæ illæ quidem ac probatæ, sed quæ Apostolorum omnium supponunt ex hac vita discessum, illæ ex mera Ecclesiastica traditione descendunt. Præter istas novem alias adducit N. Honoratus à Sancta Maria, ad pias Traditiones à vulgaribus secernendas, quas rogatus aperiam.

## De Ecclesia.

### VII.

**S**I omnis, quæ ratione suscipitur de quavis re institutio debet à definitione proficisci, ut monet Tullius, (a) hoc potissimum in hac fieri oportere censeo. Ecclesia enim variè admodum potest accipi: peculiari tamen significatione fidelium societatem designando, omnes omnium temporum, & locorum fideles comprehendit, & ab origine mundi, usque in finem sæculi continua successione protenditur; si vero presius accipiatur, prout statum novæ legis respicit, est *Cetus hominum unius, & ejusdem fidei Christianæ professione, atque eorundem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Romani Pontificis*. Cum plures sint societates, quæ sibi Ecclesiæ Christi nomen assumunt, ut Schismaticorum, Calvinistarum, & Angliæ Protestantium, aliorumque, certam veræ Ecclesiæ internoscendæ regulam in quatuor characteribus reponimus, quos Symbolum Constantinopolitanum disertis his verbis exponit: *Et in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Eapropter tanquam æquivocas rejicimus notas ab Hæterodoxis pro verâ Ecclesia dignoscenda confictas, Evangelii nempe puram doctrinam, & rectum Sacramentorum usum. Jactent igitur Hæretici quantum libeat, se Dei Ecclesiam reformatæ, apud ipsos illibatam permanere; nos interim admonet Hieronymus: (b) *Sicubi audieritis eos, qui dicuntur Christiani non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos (adde Lutheranos Calvinistas) scito non Ecclesiam Christi, sed Anti-Christi esse Synagogam*. Proprietates Ecclesiæ sunt visibilitas, infallibilitas, atque indefectibilitas. Ex his concludimus. I. Ecclesiam, nec veterem, nec hodiernam in fidei, aut

B 2

mo-

(a) Cic. Lib. I. de Offic. cap. I. ubi dicitur: *Idcirco non est in Ecclesia, sed in Christianis*.  
 (b) S. Hieron. Dial. contra Lucif. in fine. *Idcirco non est in Ecclesia, sed in Christianis*.



morum regulis errare posse. II. Non solos justos, ut Quesnellius, aut prædestinatos, ut Wicleph, Lutherus, atque Calvinus impudenter asseruere, complecti. III. infideles atque Judæos Ecclesiæ membra non esse; itidem Hæreticos, Schismaticos inter illius membra computandos non esse, quod ab illa secessionem fecerint, cum omni retro antiquitate contra Jurium sentimus. IV. Excommunicatos excommunicatione majori valida extra Ecclesiam fieri censeo, tamquam ramos ex arbore resectos. V. Cathecumenos vero nondum intra Ecclesiæ sinum, sed in vestibulo pietatis, in Ecclesiæ atrii, cum Nacianzeno reponimus; (a)

## De Conciliis.

### VIII.

**P**ROfecto saluberrima est in Ecclesia Conciliorum auctoritas, & quasi hereditaria sunt fidei nostræ signacula nullius temeritate violanda; (b) in his etenim Pontificum, ac Sacerdotum congressibus, quidquid ambiguum est in fide elucidatur, dissidentium paci consulitur, unitas Catholici gregis firmatur, reformantur mores, & universa Ecclesiæ facies, vel hæresibus; vel schismate, vel pravis sædata moribus, pristino decori restituitur. Quapropter cum *Plenarii Concilii sententiam totius Ecclesiæ* consensionem esse ex S. August. didicerimus, (c) qui Ecclesiæ auctoritatem firmam, ratamque habuimus, Generalia quoque Concilia Romani Pontificis auctoritate firmata velut fidei, morumque regulam infallibilem amplectimur. Lutherus cum Magdeburgensibus contendit Christianos omnes, etiam laicos debere ad Concilium convenire, eisque jus decidendi competere: Catholici e contra tuemur, id jure divino ad Episcopos tantum pertinere; consuetudine tamen, & Ecclesiastico privilegio ad Cardinales, ad Ordinum Religiosorum supremos Moderatores, & ad Abbates. Plura de jure requiruntur, ut hæc Generalia Comitia rite celebrentur; sed hæc præcipua præterire non possum. I. Quod à Romano Pontifice debent congregari. II. Quod in ipsis, vel per se, vel per Legatos suos debet præsidere.

(a) D. Gregor. Naz. Orat. 40. in Sanct. Baptist.

(b) S. Ambros. Lib. 3. de Fide cap. 15.

(c) S. August. Lib. 1. de Bapt.



III. Quod ut plenum robur, ac firmitatem obtineant, ejusdem debent decretorio judicio confirmari. De Nationalis, Provincia-  
lis, vel Diocesani Concilii certitudine, roga.

### *De Romano Pontifice.*

#### IX.

**N**ihil est notius, nihil perpetuo seculorum usu exploratius, quam illud plusquam Vatinianum odium, quo in Romana sedis Antistites perdit homines hæretici debacchari sunt; sed planè irritò conatu, quoniam firmum fundamentum Dei stat, super quod Ecclesiastici Edificii altitudo consurgit; quamobrem, ut hujus quoque loci firmitatem ostendamus, sequentes statui-  
mus propositiones. I. Ecclesiæ Christi regimen Monarchicum est, cæteris omnibus præferendum. II. Petrus Apostolus cæ-  
terorum Princeps fuit, & Caput Ecclesiæ. III. Petrus Romam adve-  
nit, diuque ibi commoratus in eadem urbe Martyrium passus est. IV. Episcopus Romanus jure divino Petri successor est in  
Ecclesiæ Primatu. V. Extra Concilium, & prævie ad Ecclesiæ  
consensum, ex Cathedra desiniens, in fidei controversiis judi-  
cio gaudet infallibili. VI. De Fide est Pium VI. foeliciter nunc  
Ecclesiam gubernantem, esse verum Pontificem, Petri succes-  
sorem, & Christi Vicarium.

### *De SS. Patrum Authoritate.*

#### X.

**P**atrum appellatio, qua antiqui Patriarchæ in veteri Testa-  
mento fuerunt insigniti, ad novum translatus est; nec  
omnes Ecclesiastici scriptores Sanctis Patribus accensendi sunt;  
sed ii dumtaxat, qui communi Ecclesiæ sensu recipiuntur, tan-  
quam singulari Dei Providentia concessi, ut in ea doctri-  
nam fidei, ac morum à Christo Domino, & Apostolis traditam,  
conservarent, atque ad posteros illibatam transmitterent. Ne-  
cesse est omnibus, qui sese Catholicæ Ecclesiæ filios probare  
student, ut SS. Patrum fidei inhæreant, agglutinentur, immo-  
riantur, quemadmodum egregie monuit Vincentius Lirinensis;  
profanas vero novitates detestentur, horrescant, persequantur;  
quare in rebus fidei, ac morum nihil aliud posteris credendum  
est, nisi quod sacra, unanimis, & sibi consentiens omnium Pa-  
trum tenet autoritas: hinc sponte fuit altera posuio: in Sacra-



rum litterarum expositione unanimis SS. Patrum sensus, quoad fidei, & morum dogmata sequendus est.

Sed quoniam, ut prudenter nos monet ipse Vincentius: antiqua SS. Patrum consensio, non in omnibus Divinae legis Quæstriunculis, sed solum in fidei regula est à nobis certo sequenda; ideo aliquas critices regulas subnectimus circa rectum eorum usum. I. Antiqui PP. qui defecerunt à fide, & in aliquam hæresim lapsi sunt, non omnino rejiciantur; sed in his, quæ bene scripserunt, non ut PP. sed ut traditionis testimonia, ac disciplinae sunt admittendi. (a) II. Quæcumque PP. contra communem Ecclesiæ sensum dixerunt rejicienda sunt. (b) III. In Quæstionibus adiaphoris, pro adæquata argumenti solutione, Patres, Patribus licet opponere. (c) IV. Satiùs est Patrum sententias inexplicatas dimittere, quam illis invitis eorundem verba, in alienum sensum detorquere. (d) Quæ minus clare, & sensu veluti ambiguo ante natam de aliquo fidei articulo controversiam scripserunt Patres, eorundem non lædit fidem. (e) VI. PP. cum Adversariis decertantes quædam ex propria sententia, quædam etiam ex adversariorum mente, ut ad hominem agerent, protulerunt. (f) Et quoniam pro Patribus, nati sunt filii Theologi, maxime qui Sacra Scripturæ, & traditioni insistant horum omnium concordem de fide, & moribus sententiam rejicere hæresim sapit omnino. Juris utriusque notitiam, ad rem Theologicam plurimum juvare non ambigimus, maxime ubi de moribus, & legibus jure Ecclesiastico stabilitis agitur; sed de his non vacat longiorem texere sermonem.

### *De ratione naturali Philosophis, & Historia.*

XI.  
Hactenus de septem Theologiæ locis, qui maxime hujus facultatis proprii sunt; reliquos, quoniam alieni sunt, sum-

- 
- (a) D. Hieronym. in Epist. ad Tranquil.
  - (b) Vincent. Lirin. Lib. contra prophan. novit. cap. 23.
  - (c) D. August. Lib. contra Julian. cap. 2.
  - (d) Vincent. Lirin. loc. cit. cap. 27.
  - (e) D. August. Lib. 1. de Prædest. SS. cap. 11.
  - (f) D. Athanas. Lib. de Decretis Nicenæ fidei.



summis, ut ajunt labris delibabimus. Et quantum ad primum attinet, hi porro qui Theologiam sic instituunt, ut nihil habeat commune cum naturali ratione, sed eam utpote noxiam penitus repuat, nedum veram Theologiæ rationem, sed & ipsam prorsus humanitatem exuisse videntur: inter hos Benedictus Spinoza, in suo Tractatu Theologico-Politico Hamburgi pervulgato anno 1670., omnem rationis usum è Theologiæ castris eliminare conatur, cujus systema si penitus inspicatur totam Scripturam, & Christianam Religionem ad quoddam veluti æstrum redigit, eamque exponit profanorum hominum irrisioni, atque contemptui.

Alii è contra, ut Lutherani, Calvinistæ, Sociniani, atque inter hos præcipue Joannes Collins Anglus revelationem funditus evertunt, neque aliam regulam præter rationem naturalem agnoscunt, ad cujus amulsim omnia revelata expendi debere contendunt: atqui hoc principio semel posito omnia corruunt fidei nostræ Mysteria; inter tot scopulos media incedet via securus quisquis rationem non ut Dominam præsidere, sed ut administram, ac pedissequam fidei deservire faciat. Concordiam fidem inter ac rationem, quam in Theologia desiderari aiebat Franciscus Baco à Verulamio, Huetius, Sylvanus Regis, ac Leibnitzius aggressi sunt non improbando labore; nos vero id tuto affirmare possumus cum S. Augustino: revelationem divinam non posse rectæ rationi contraire. (a) Nec Philosophorum placita in fidei negotio sunt omnino respuenda; nam ut optime admonuit S. August. *Philosophi, si quæ forte vera dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tamquam, injustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda.* (b) Quod attinet ad Historiam, sicut nefas est omnem rejicere, ita & omnes sine delectu admittere: nullius tamen humanæ auctoritatis historiæ factum aliquod ita confirmat, quod tenendum illud sit tamquam de fide divina. Regulas pro Historicorum accurato criterio nonnullas poscenti dabimus.

\*\*\*\*\*

De

(a) S. August. *Epist.* 14. *novæ edit.*

(b) Idem, *Lib. 2. de Doctr. Christ.*



## De Dei Existentia, atque Natura.

### XII.

**N**ulla gens est, inquit Cicero, neque tam immanis, neque tan ferrea, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat; (a) quo naturæ testimonio apertissimæ infantiæ arguitur impiissimus Machiavellus, qui Lib. de Principe, Dei nomen ad terrendos, & in officio continendos homines excogitatum fuisse, ausus est dicere. Æquo jure explodendi sunt Athei Recentiores, qui Deum ipsam esse rem Universitatem, impudentissime asserunt, atque illud vulgatum Lucani carmen frequentissime jactant.

*Jupiter est quodcumque vides, quodcumque moveris.*

Hinc Pantheistæ sunt appellati, quorum secta altissimis est in Anglia defixa radicibus, & eorum opinionem in scelestissimo opere Pantheistica inscripto Tolandus exponere curavit: Verbo Indifferentistæ, Pseudo-Politici, ac Libertini, seu libere Philosophantes jure, ac merito tamquam Reipub. atque humani generis hostes habendi sunt, dum impia de Divinitate systemata confingunt.

Contra ipsum naturæ lumen errasse dicendi sunt Polythei, sic appellati, quod plures Deos venerarentur; de eorum origine, ridendisque fabulis, quas vel ipsi Ethnici sapientiores aspernabantur, plura dicenda forent, nisi brevitati consuleremus: propterea prædicti omnes errores his configuntur telis. I. Deum esse nullus omnino adultus homo ratione utens ignorare invincibiliter potest. II. Hæc propositio: *Deus est*, ex parte objecti est per se nota, nobis autem viatoribus non nisi mediate, atque per caliginem imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, ut loquitur S. August. (b) III. Quapropter ingenita Dei notitia à Cartesiiis injecta, nec ulla firma probatur ratione, neque ad Atheos revincendos quidquam affert utilitatis. IV. Unitas Dei omnibus ratione utentibus est conspicua. V. Deus nullatenus est Antropomorphos; sed spiritus est, & quidem purissimus. VI. Formale, ac veluti metaphysicum Dei constitu-

(a) Cic. lib. 1. de Legibus.

(b) D. August. Enarrat in Psalm. 48.



tutivum recte dicitur: *Esse à se*, quod est veluti immensum quoddam, ac nullis terminis definitum essentiae Pelagus.

## De Attributis Dei.

### XIII.

**Q**UAMVIS Deus sit Ens simplicissimum, in quo partes, aut Attributa natura sua distincta considerare non licet: tamen ob mentis nostrae imbecillitatem, cum non possimus uno veluti intuitu, quasi per partes circumspicimus. Attributum ergo ex D. Thoma: *Est perfectio absoluta, & ne essaria formaliter existens in Deo, nostro tamen concipiendi modo superveniens essentiae ipsius jam constitutae, & in esse substantiali completa.* (a) Ex iis tamen perfectionibus, quae dicuntur simpliciter tales de Deo formaliter praedicantur, secus quae dumtaxat dicuntur secundum quid tales, ob aliquam ipsis permixtam imperfectionem; quapropter jure damnata fuit, tamquam insana Almarici doctrina. Gilberti Porretani realem distinctionem inter Essentiam, & proprietates, atque eandem inter substantiam & divinas operationes, quam admisit Gregorius Palamas, tamquam inane commentum rejicimus: quin Eunomii Cycizeni Episcopi, vel Aetii subscribamus erroribus, qui nec mentalem, nec rationis distinctionem in Divinis probavere. Quodnam ergo distinctionis genus adstruimus juxta Scholae nostrae placita? Audi Resolutum Doctorem: *Teneo, quod Attributa distinguuntur ex natura rei per rationes formales....non absolutas, sed respectivas.* (b) Desipiunt profecto ex Socini, Arminiique grege Worstius, Thomas Obbes, Lib. de Cive, cap. xv. §. xiv., qui Deo infinitatem quandam relativam dumtaxat concedunt; nam Deus O. M. absolute, & penes essentiam infinitus est. Aeternus pariter est, eo ferme modo, quo ipsi soli, ad differentiam creaturarum quarumcumque rerum conveniat aeternitas: Immutabilis est omnino natura, & operationibus: Immensus nedum virtute, sed substantia, atque natura, atque aequo jure, & summe Providus, cui de omnibus cura est, & Omnipotens, apud quem

C

omnia

(a) D. Thomas, in 1. Dist. 35. quest. 1. Art. 1. ad 2.

(b) R. D. in 1. Dist. 2. Art. 3. §. 1.



omnia possible sunt, & summe Verax, non est enim Deus quæ si homo, ut mentiat. (a)

## *De Scientia Dei.*

### XIV.

**D**E Scientia Dei sermonem olim habentes Ethnici desipuiffe in pluribusprehenduntur: hos subsecuti hæretici non ferendas impio ore blasphemias effuderunt; quin & Catholici de ea disputantes hinc inde pro Scholæ sententiâ, vel partium studio accerrime digladiantur; una denique, extra omnem aleam, de Scientia Dei bene loquitur fides, quæ nos docet dari in Deo omnis scientiæ plenitudinem. Jam vero juxta Scholæ nostræ principia dicimus, inter essentiam divinam, quæ in suo conceptu est substantia intellectualis à se primordialiter existens, atque ipsum actuale intelligere datur eadem respectiva distinctio, quæ inter cætera attributa. De scientiæ variis acceptionibus juxta varia Theologorum systemata, in arena. Qui Resolutum igitur sequuntur Theologi, quidquid peragunt cæteri per varia Divinæ scientiæ munera, id totum præstant vel per scientiam speculativam, vel per dispositivam; quæ divisio nec cum celebri in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis partitione recurrit; nec cum alia in speculativam, & practicam: nec demum, quæ per nos dicitur dispositiva, quidquam commune habet cum altera, quæ dicitur Media. Scientia igitur speculativa nihil omnino nec de possiblebus, nec de existentibus agit, sed ea unice in suo peculiari esse contemplatur. Scientia dispositiva rerum omnium quæ à Deo sunt causa est, non effectiva quidem, sed directiva.

Deus se ipsum, suaque omnia perfectissime intruetur atque comprehendit; ita tamen, ut ejus objectum primarium sit sua essentia, secundarium licet intrinsecum sua attributa, & relationes, quod ab illa profluunt secundarium extrinsecum, & resultativum, creaturæ. Possible omnia, omniaque existentia cujuscumque sint generis perfectissime comprehenduntur ab ipso. Cognoscuntur etiam certissime, & evidenter futura omnia libera, & contingentia; nec ejusdem mentis aciem effugere possunt  
futu-

---

(a) Num. 29. vers. 12.



futura illa conditionata, quæ numquam erunt, quin illa eadem certitudine præsciat. Tametsi, ut egregie aiebat S. August. (a) *Novit omnia Deus in se ipso*, in assignando, nihilominus, medio, sive ratione in qua singula hæc dicatur Deus ipse cognoscere, valde inter se dissident Scholastici; quapropter coherenter ad nostræ Scholæ principia, asserimus, quod: I. Deus non videt futura in reali, & physica eorundem cum aternitate coexistentia. II. In statu naturæ lapsæ futura ordinis naturalis non cognoscit in Præmotione physica, sed in decreto permissivo. III. Futura libera ordinis supernaturalis non prævidentur à Deo operis scientiæ Mediæ; sed initium bonæ voluntatis, quod in nobis operatur sine nobis, in Decreto præcognoscit absoluto; futura vero libera ejusdem ordinis præscit Deus in Decreto suæ gratiæ ab intrinseco efficacis collativo, quod phrasi Baconica non absolutum, aut præveniens, sed modificatum, & concomitans vocatur; quod si hoc nostræ Scholæ systema omnibus non arrideat, cum de liberis Quæstionibus agatur, illud ultro reponemus: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.* (b)

## De Voluntate Dei.

### XV.

**I**Nnumeris penè in locis habent sacræ literæ de Divina voluntate sermonem; ex quibus hoc fidei Dogma deducitur, dari scilicet in Deo veram, ac propriam voluntatem, quæ his potissimum verbis potest definiri: *Est facultas nature incommutabilis, & perfectissimæ, eam inclinans in bonum sumnum, æternum à se plenissime comprehensum.* Ex qua hæc consecutio sponte fluit: Objectum primarium Divinæ voluntatis Deum ipsum fore seu divinam essentiam, secundarium resultativum esse creaturas; quin & Deum se ipsum suæque omnia necessario amare; creaturas vero libere & propter se ipsum. In quo vero ejusmodi libertatem in ente necessario reponimus? Numquid in respectu ad creaturas defectibiles? Minime; sed in facultate arbitrandi nostro concipiendi modo antecedente ejus exercitium. Ex diverso respectu varia emerfit in Scholis Divinæ voluntatis partitio: alia

C<sub>2</sub>

enim

(a) D. August. *Lib. 15. de Trinit. cap. 14.*

(b) *Prov. 5. vers. 13.*



enim est voluntas signi, alia beneplaciti: hæc est ipsamet divina volitio libera erga creaturas; illa est argumentum, seu signum aliquod, quo Dei voluntas nobis innotescit; quo sensu lex dicitur Legislatoris voluntas, & Testamentum ultima voluntas Testatoris. Voluntatem beneplaciti subdividunt Theologi in antecedentem, & consequentem: antecedens connotat ordinis impositionem, in quo tam iusti, quam impii quamdiu sunt in hac vita, in via qua ad salutem pervenire possunt collocantur, habentque indiscriminatim præparata divinorum beneficiorum munera; consequens vero hujus ordinis connotat complementum, & executionem; utraque igitur voluntas proprium semper sortitur effectum. Datur in Deo vera, sincera, ac proprie dicta voluntas antecedens salvandi omnes Homines. Divinæ voluntatis efficacia nihil officit electorum libertati, quare? Quia decretum illud non est prædestinans, sed concomitans, & modificatum.

### *De Sanctissimæ Trinitatis Mysterio.*

#### XVI.

**I**nnefabile Sanctissimæ Trinitatis Mysterium satius esset fide docente, credere, ac confiteri, quam imbecilli humana ratione velle perscrutari; en igitur quo temeritatis atque protervia progressa fuerit Wolzogenii audacia, qui veterem Socinianorum crambem recoquens, contra ejus imperviam altitudinem, quæ rationem, mentemque superat, perfractæ obloquitur. Quapropter teneamus nos hanc regulam, & scripturis annuntiantibus, tres fore, qui testimonium dant in Coelo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eosdemque tres unum esse, captivetur infirmæ mentis obsequium, & cum Ecclesia Catholica confiteamur, quod tres sunt in Deo realiter distinctæ Personæ, in quibus una est non tantum specie, sed numero divina natura. Qui cum Sabellio divinas in unum permiscet, & confundunt Personas, processionem in divinis admittunt nullam; qui autem cum Valentino multiplicem Æonum generationem comminiscuntur, plurimas illos statuere necesse est; sed Catholica Fides respuit talia corruptarum mentium fragmenta; docetque, duas tantum esse in Deo processionem: earum principium proximum non est divina essentia, adhuc per rationem præcisa à facultatibus intellectus, & voluntatis; nec relationes divinæ; sed intellectus



lectus Patris respectu generationis Verbi; & voluntas utriusque respectu processionis Spiritus Sancti, ita tamen ut prior sit ratio absoluta, & minus principalis relativa: quod si quæras cur Verbum dicatur Filius, non ita Spiritus Sanctus? Reponam, quoniam Verbum procedit per intellectum; hinc etiam si Spiritus Sanctus à Filio non procederet sufficienter ab illo distingueretur. Consubstantialis verè Christus Dei Filius suo Patri est; rectè igitur vocabulum Omooûsion à PP. Nicænis receptum est, & consecratum. Spiritus Sanctus vera est, & subsistens Persona. Cum contra Græcorum errores rectè definierit Ecclesia, Spiritum Sanctum à Patre, simul & Filio procedere, jure ac merito addita fuit symbolo illa particula Filioque. Reliqua huc spectantia dabimus, cui libuerit exquirere.

## *De Deo Angelorum Creatore.*

### XVII.

**A**ngelus græcæ originis nomen est, Nuntium, sive Missum, quicumque ille sit, significans; at usus obtinuit, ut Angelorum nomine nonnisi substantias quasdam spirituales, atque completas intelligamus. De fide est Angelos existere, atque apertissimis scripturarum refelluntur testimoniis tum recentiores Anabaptistæ, tum antiqui Saducæi, qui dicunt non esse: Angelum, neque spiritum; (a) seclusa tamen revelatione utcumque probabiliter, non vero demonstrativè hoc potest evinci. Quo præcise tempore conditi fuerint certo non constat, sed probabile judicamus eorum productionem mundi visibilis opificium non precessisse. Eorum natura spiritalis omnino est, atque incorporea, licet non una de hoc fuerit antiquorum PP. sententia. Esto non essentialiter, & absolute, connaturaliter tamen, & non ex privilegio immortales sunt. Possibilem inter ipsos differentiam sive genericam, sive specificam, sive etiam numericam admittimus; qualem autem dicant de facto definire certò non possumus.

Angeli omnes cum habitualis gratiæ, & sanctitatis dono conditi fuere; necnon gratiæ actualis auxilium ad rectè, beateque vivendum singulis fuit concessum. De Angelorum via rogatus

---

(a) Act. Apost. cap. 23. vers. 8.



gatus libenter verba faciam. Non omnes per liberum arbitrium tanta suffultum ubertate gratiarum in veritate steterunt; sed quiddam quorum ductor fuit Satanas, per ipsum liberum arbitrium à Deo refligæ facti sunt. Defectionis hujus origo superbia fuit, à qua initium sumpsit omnis perditio. (a) Quod si tanti criminis objectum petis, probabiliter reponimus in contemptu præcepti ipsis impositi de Christi Domini adoranda Humanitate, ex quo ortum duxit amara illa Diaboli invidia, qua mors introivit in orbem terrarum. Angeli boni divino obsequentes præcepto æternam beatitudinem sunt adepti; rebelles vero ad tartara detrusi suæ defectionis pænas in æternum luent. De Angelorum motu, colloctione, illuminatione, atque erga homines custodia, audiet qui pulsaverit.

### *De Deo Mundi spectabilis Conditore.*

XVIII.

**M**undum à Deo creatum fuisse, & quidem in tempore soli Epicuri de grege porci inficiari poterunt, qui totum ipsius mirabile opificium casui adscribere; vel impii Spinosa, qui à se ipso, vel à fato productum fuisse impudenter effutunt. Verno tempore, non autumnali conditum fuisse opinamur; etsi veram mundi ætatem exactissime definire sit admodum difficile; certo tamen possumus concludere, tempore S. S. Hieronymi, & Augustini sex annorum millia ab orbe condito nondum expleta fuisse. Mosaica narratio, etiam inspectis melioris critices regulis, cæteris Gentilium Historiis, quæ de Mortalium origine sermonem habent, præferenda est. Augustiniana de opere sex dierum allegorica sententia laudabilis est quam maxime, & mente tanti Scriptoris digna; sed quæ stat pro naturalium spatio dierum, cui & subscribimus, est litteræ convenientior. Nunc vero, ut paucis plura concludamus de singulorum operibus dierum quærenti brevem dabimus enarrationem. Quæ de Horto Heden, de ligno vitæ, atque de arbore scientiæ boni, & mali narrat Moyses, non figuraliter & allegorice, ut commentus est Origenes, sed litteraliter sunt interpretanda.

(a) Tob. 4. vers. 14.



## De Deo primi Hominis Plasmatore.

### XIX.

U<sup>L</sup>timum sextæ diei opus, & precedentium summum veluti complementum, hominis formatio est. Primus universorum hominum Parens fuit Adam de limo terræ à Deo ipso formatus, à quo uno humana progenies ubique terrarum fuit propagata; pariformiter prima omnium hominum Mater Eva fuit: quæ de ejus formatione ex Adæ costa scripsit Moyses literaliter sunt accipienda. Ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo; hæc tamen *imago est intus, non in corpore, sed ubi est intellectus, ubi mens, ubi ratio investiganda veritatis*; (a) cave tamen & à nobili Platoniorum figmento, Rationalem Animam divinæ particulam substantiæ dicentium; & à recentiorum Materialistarum stultissimis cavillationibus, qui tantam materiæ subtilitatem tribui posse contendunt, ut cogitandi, sentiendique attributa posse illi convenire mentiantur; neque enim tunc rerum essentiæ fixæ forent, atque immutabiles. Ergo cum Anima spiritualis omnino sit, immortalem esse quoque necessum est.

Præter animi ac corporis egregias dotes, præstitit Deus Adæ gratiæ habitualis, & originalis justitiæ ornamentum singulares; actuali quoque licet versatili gratia ipsum suffulsit; nec enim efficaciori indigebat adjutorio; sed Diabolus malorum omnium inventor Evam alloquens per naturalis serpentis organa fessellit; quæ quidem post habitum cum serpente colloquium tulit de fructu vetito & comedit, deditque viro suo, & comedit, nihilo habentes æquissimum Conditoris præceptum. In hujus peccati panam corpora quidem Protoparentum cujusvis generis malis, mortique sunt addicta; Animæ vero ignorantia, & concupiscentiæ vinculis constrictæ: Viro istud supplicii genus statutum; in sudore vultus sui panem comedere, Faminæ autem parere cum dolore filios, atque ambo ex terrestri Paradiso sunt ejecti. Hæc labes originaria, atque hæc panales miseriæ in Adamii posteros dimanarunt; quare omnes homines qui solita generationis via in lucem prodire ex stirpe corrupta peccatum originale contraxerunt; criminis hujus natura mysterium est the-

(a) S. August. Sermon. 2. in Pf. 48.



theologicum ; nos in privatione originalis iustitiæ cum debito illam habendi reponimus cum R. D. Hæc vero dicta sint absque Immaculatæ Matris præiudicio , de qua illa Sedulii carmina libenti animo decantamus.

Ac veluti è spinis mollis rosa surgit acutis  
 Nil , quod lædat habens , Matremque obscurat honore ;  
 Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria  
 Virginis antiquæ facinus nova Virgo piavit.

### *De Deo Incarnato.*

#### XX.

**D**iximus modo Diabolica fraude hominem fuisse deperditum ; consequens est ut inquiramus , qua videlicet consilii sui incfabili dispensatione egerit Deus ipse , ut & unigenitus Filius suus natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis in corrupta natiuitate damnaret ; & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret. (a) Id porro per Divini Incarnationem Verbi completum est totum. Tantum , ac tale Mysterium sola naturali ratione positive nequit demonstrari ; potest tamen theologus quæ cum illius possibilitate pugnare videntur facile dissolvere. Ejus convenientia apertissimis suadetur rationibus. Facta est Adæ , Patriarchis , Prophetis , aliisque sanctioribus Judæorum viris Mysterii hujus revelatio ; sed & Sybillina Oracula quæ ab antiquis PP. adversus ethnicos laudantur Chistianorum figmenta non sunt. Quidquid in oppositum arguat Malebranchius peracutus Philosophus , hypothesi de Mundo condito non probat necessitatem Incarnationis ; nec lapsus Adæ Deo intulit aliquam necessitatem illam decernendi ; si tamen statuamus Deum inter sua æterna decreta deliberasse Genus humanum plena quadam , & injuriæ sibi illaræ , respondente satisfactione redimere , profecto Incarnatio fuit absolutè necessariâ ; atque idem prorsus dicendum est ex hypothesi factæ jam veteribus Sanctis de dando hominibus Reparatore , promissionis.

Tota indivisibiliter Trinitas hoc Mysterium in utero Virginis operata est ; Christum tamen dumtaxat ex Spiritu Sancto con-

---

(a) S. Leo. *Serm. 5. de Nativit.*



conceptum profitemur in Symbolo; quoniam Incarnatio divinæ erga homines bonitatis, charitatisque argumentum est singulare. Finis principalis illius Dei gloria extitit; proximus vero salus hominis & illius cum Deo reconciliatio, adeo ut Adamo non peccante vi presentis decreti, Verbum Dei caro factum non esset. Ex Prophetarum oraculis adventum Messiae, & præcipua vitæ illius gesta prænunciantibus; maximè ex Jacobi, Danielisque vaticiniis ipsum jam venisse probatur. *Error Hæreticorum de Christo tribus generibus continetur; aut enim de Divinitate ejus, aut de Humanitate, aut de utroque* (id est unione hypostatica inter utriusque naturam) *falluntur.* (a) Contra primos Christum Jesum Deum verum prædicamus; cum universa Ecclesia contra secundos profitemur, quod Verbum Divinum ita dicitur caro factum, ut veram carnem, verumque corpus ex Maria sumpserit Virgine, ita ut duæ admittendæ sint in Christo realiter distinctæ, atque impermixtæ naturæ. Contra tertios denique, quod Christus perfectus Deus, perfectus homo, unus omaino est, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Hoc confodiuntur telo, hoc fulmine impetuntur quotquot hæresum monstra contra Incarnationis Mysterium ex Erebo prodierunt. Duodecim Anathematismos N. S. Cyrilli adversus impium Nestorium ab Albertini aliarumque hujusmodi pestium sophismatibus defendimus, & Beatissimam Mariam Virginem non solum Christi Genitricem, sed etiam vere Deiparam, & Dei Matrem esse dicendam, tanquam pro aris, ac focis propugnamus. Helvidii magnam insaniam, (ut loquitur Origenes), blasphemiam, (ut Epiphanius), & sacrilegium, (ut Ambrosius) contra perpetuam intemeratæ Deiparæ Virginitatem execramur. Contra Monothelitas duas in Christo voluntates atquæ duas operationes distinctas, uti sexta Synodus Generalis definivit, admittimus. Tandem si instituti nostri ratio pateretur, quosdam Canones pro recta idiomatum communicatione perficienda daremus; qui plura volet, sciscitari dignetur,



D

De

---

(a) D. August. *Lib. I. quin Evangelic. quest. 45.*



## *De Satisfactione ac dotibus Christi.*

### XXI.

**C**hristus Dominus (ut canit Ecclesia) pro nobis Æterno Patri Adæ debitum solvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterfit; ut ergo Catholici Dogmatis veritatem adversus Calvinianos, Jansenistas, Socinianos vindicemus sequentes statuimus resolutiones. I. Christus Dominus non methaphorice, sed vere, ac proprie Divinæ justitiæ satisfecit; atque ejus satisfactio nedum æquivalens, verum etiam superabundans fuit. II. Habuit siquidem conditiones omnes, quæ ad exactas justitiæ requiruntur leges. III. Pretiosi sui sanguinis pretium pro omnibus obtulit. IV. Neque enim creatura ulla quibuscumque gratiarum ornata muneribus potest Deo satisfacere, sive pro alieno, sive proprio peccato. Quis autem ferre poterit Agnosciturum ex Eutychianorum facie impudentiam, aut Calvinum ejusque gregales, qui inscitiam, & plurimarum rerum ignorantem Christo imputare non erubuerunt? Habuit ergo ejus Anima à primo conceptionis instanti perfectissimam scientiam infusam, Beatorumque scientiam per intuitivam Dei visionem: nec profecto caruit scientia experimentalis, quæ ex crebris perceptionibus, mediisque sensibus efformatur. Eodem jure habuit quandam sanctitatem naturalem, ac substantialem ex unionem hypostatica proficiscentem, ex qua orta est omnimoda impeccabilitas, & malæ concupiscentiæ fomitis exclusio. Præterea habuit, & Christus gratiam habitualemente & adventitia, Spiritus S. dona, virtutum plenitudinem, quibus & sibi, Sponsæ suæ Ecclesiæ, nobisque omne meritum comparavit. Quo autem pacto perfecta Christi libertas, cum ejus impeccabilitate potest coherere? Schola nostra cum suo Duce in libera arbitrandi facultate, natura sua quodcumque exercitium precedente, reponit hujus concordie secretum. Tandem ut omnia uno complectamur verbo titulos, officia, adorationemque Christo debitam, si opus fuerit declarabimus.

## *De Sacramentis in Genere.*

### XXII.

**E**osque temeritatis, atque impudentiæ devenere Heterodoxi, ut vel ipsum sacramenti nomen, quod ab Ecclesiâ incu-



inclinabilis totius retro antiquitatis sacravit authoritas velut exoticum traducant; sed hi errant in media luce. *Signum sensibile symbolicum divinitus institutum, alicujus sanctitatis productionum*, apte definitur. In statu innocentiae extitisse sacramenta, certa ratione concludi non potest, sed de ejus possibilitate non ambigimus: in statu legis naturæ aliquod extitit Sacramentum, quo veluti pharmaco tam adultis subveniretur, quam parvulis. Circumcisio à Deo fuit instituta, ut virtute fidei peccatum deleteret originale. Cum venit plenitudo temporis in quo Deus misit Filium suum, instituit ipse, & quidem immediate alia sacramenta *virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora.* (a) Ecclesia Catholica, quidquid hostes garriant, merito ipsa septenario comprehendit numero. Nihil officit Ministri infidelitas, aut improbitas ad sacramentorum valorem, dummodo adsint cætera necessaria. Validum non conficit sacramentum, qui minice, aut per jocum in ejus dispensatione segerit, sed talem agnoscimus necessariam intentionem, qua vere ac serio sibi proponat Minister facere quod facit Ecclesias, quod si internum omne tollas propositum peragendi aliquod sacram, irritum evadet sacramentum. Novæ legis sacramenta gratiam producant *ex opere operato*, non physice, sed moraliter.

## De Baptismo.

### XXIII.

**S**olemne fuit apud PP. veteresque Scriptores Baptismi sacramentum januæ nomine designare: quoniam *inde incipit omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutis ingressio* (b) Christum illud instituisse pro comperto habetur, sed quonam præcise tempore adhuc sub Judice lis est: nos tunc illud instituisse asserimus, cum Beati Joannis ministerio benedictione proprii Baptismatis fluente Jordanis consecravit. Omnibus sive parvulis, sive adultis necessarium est necessitate mediæ, qui vero & rationis compotes sunt, & Evangelicæ legis notitiam habent vi præcepti ad illud suscipiendum obstringuntur. Triplex Baptismi genus pro suo unumquodque modulo ad salutem perducens, tueor.

D 2

(a) D. August. *contra Faust.* 19. cap. 13.

(b) S. Cyprianus, *in Epist. ad Jubajan.*



tueor. Materia remota est aqua naturalis, quæ sive per asper-  
sionem, sive per immersionem, seu denique per infusionem ad-  
hibeatur irritum non reddit sacramentum. Forma est: *Ego te  
baptizo, &c.* Hinc irritum erit, si in solo Christi nomine con-  
feratur. De Ministro solemniter, & necessitatis interroga: iterari  
non potest, eò quòd characterem imprimit. Licet atque expe-  
dit recens natos baptizare. De effectibus, ac ritibus respondebi-  
mus.

### De Confirmatione.

#### XXIV.

**Q**ui Baptismatis Sacramento Dei munere sunt renati, eisdem  
ut adolescant, & ad fidem suam profitendam, adversus-  
que hostes illius etiam cum vitæ periculo tuendam, no-  
vas Confirmatio vires suppeditat; est namque verum novæ le-  
gis sacramentum, non caremonia Ecclesiastica, ut A catholici  
pertendunt. Præcepto adiguntur ad illud suscipiendum quot-  
quot in amittendæ fidei discrimine versantur, & qui Clericali  
Militiæ nomen dare parantur; cæterorum fidelium contemptus,  
vel nimia negligentia erga illius susceptionem, à culpa non  
abest. Ejus adequata, & essentialis materia ex manuum imposi-  
tione, & Chrismatis unctione coalescit; forma illis verbis ex-  
primitur: *Signote, &c.* Solus Episcopus est ordinarius Minister:  
Præsbyteri ex Delegatione dumtaxat R. P. Gratiam producit, &  
characterem, quare iterari non potest: caremonias ab Ecclesia  
in ejus collatione adhiberi solitas, si placet, ab hæreticorum  
impis scommatibus vindicabimus.

### De Eucharistia.

#### XXV.

**C**um inexplabili charitatis ardore fideles suos Christus Do-  
minus dilexisset in finem, pridie quam pateretur, peracta  
coena legali, mirabile hoc, & miraculorum ab ipso factorum  
maximum instituit sacramentum; quin vel ipse anteverterit, vel  
Pascha distulerint Judæi; hinc panem azymum adhibuisse, con-  
tra Græcos asserimus: cujus perpetuo usus invaluit in Ecclesia  
Romana. Forma consecrationis his verbis essentialiter consistit:  
*Hoc est Corpus meum; Hic est Calix sanguinis mei.* Qui ergo  
hujus



hujusmodi verbis rite à Sacerdote prolatis, Corpus, & Sanguinem Christi una cum Anima, & ipsius divinitate contineri in Eucharistia pernegant, verbi Dei derogant auctoritati; nec ibi remanet panis, aut vini substantia; sed mirabilis fit illa conversio, quam transubstantiationem recte appellamus. Eos vero qui aut fidelibus cunctis, aut etiam mulierculis potestatem sacramentum hoc conficiendi perperam attribuunt, cum Marcionitis, & Peputianis explodimus. Nec necessaria est ad salutem, nec expedit (respectu eorum qui sacrificium non celebrant) Eucharistia sub utraque specie participatio. Missa verò nominis sacrificium est, in quo uno omnia antiquæ legis sacrificiorum genera reperiuntur: est enim Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium, quapropter non nisi impius diceret esse abrogandam. Eodem ipso latriæ cultu veneranda est Eucharistia sive publicæ adorationi exponatur in templis, sive solemni pompa circumferatur. De sacris Missæ ritibus à Carmelitis, juxta Jerosolymitanæ Ecclesiæ morem retentis quærentibus fiet satis.

### *De Pœnitentia.*

#### XXVI.

**P**OENitentia est: *Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, quo fidelibus post baptismum lapsis vere dolentibus, atque confessis per absolutionem sacerdotalem judiciaria potestate peccata remittuntur; tam necessaria est lapsis post baptismum in lethale crimen, quam nondum regeneratis baptismatis lavacrum. Nullum est tam grave scelus, quod deleri per pœnitentiam, & per Ecclesiasticam potestatem remitti non possit. Materia proxima sunt actus pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Contritio illa imperfecta, qua pœnitens Deum ipsum nondum incipit tamquam omnis justitiæ fontem diligere, gratiam non confert, adhuc cum sacramento. Forma illis concepta est verbis: Ego te absolvo, &c. Novatores, qui ad alios præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium extendunt merito proseripsit Tridentina Synodus.*





## De Extrema Unctione.

## XXVII.

**N**on defuerunt, qui contra totius Ecclesiæ sensum Extremam Unctionem ex albo sacramentorum novæ legis expungerent, sed S. Tridentini Concilium, penitus contrivit & Lutheri impietatem, qui delirium, & Calvinii impudentiam, qui hystrionicam hypocrisim appellare non sunt veriti. Materia remota est, Oleum olivarum; formam designavit Eugenius. IV. (a) Minister hujus sacramenti solus est Sacerdos. Personæ quibus conferri debet sunt Ægroti, qui ad ætatem rationis compotem pervenerunt, quapropter sacramentum exeuntium à Tridentino vocatur; neque enim omnes, qui in aliquo versantur vitæ discrimine exire dicuntur, uti Milites in bellum properantes, aut rei capitis damnati. Ejusdem Concilii Cathecismus monet, quod illa non differatur donec ægotans mente labatur, nisi inopinato eventu in eum statum devenerit. Effectus hujus sacramenti verbis S. Jacobi Apostoli exponuntur: *Oratio fidei salvavit infirmum, alleviavit eum Dominus, & si in peccatis sit remittuntur ei.* Cætera desideranti exponemus.

## De Ordinis Sacramento.

## XXVIII.

**O**rdo verum est novæ legis Sacramentum. Primus ac præcipuus Ordinum gradus Sacerdotium est, quod dicitur magnum si Episcopatus est; simplex vero si Præbiteratus. Primus jure divino, honore & authoritate simplici major est. Utriusque Ordinationes, nec non & Diaconorum inter Sacramenta certo recensemus; cæterorum autem sufficiat in ancipiti relinquere, cum Benedictus ipse XIV. dixerit, quod *Ordinum Diaconatu inferiorum originem indagare est valde operosum; assequi vero fere impossibile* (b) Ordinum Hierarchicorum materia essentialis est manuum impositio; instrumentorum porrectio accidentalis & accessoria, forma sunt verba cujusque Ordinis propria. Ordinarius Minister est Episcopus; Subdiaconatus, & minorum Ordinum ex R. P. delegatione potest esse Præbiter. De privi-

(a) Eugenius IV. in Decreto pro Armen.

(b) De Synodo Diaces. lib. 8. cap. 9. num. 6.



privilegio Joanni Abbati Cistercii Cabilonensis, & quatuor aliis Abbatibus ab Innocentio VIII. anno 1489. concesso dubitari non licet: infideles, foeminae, non sunt illius subjectum capax. De reliquis in circo.

### De Matrimonio.

#### XXIX.

**Q**UOD in omnibus Sacramentis evenit id potissimum in Matrimonio certum est, & exploratum, gratiam, videlicet, perficere naturam, quod enim prius quasi naturae Officium à Deo ipso fuit ordinatum, ex Christi ordinatione ad veram Sacramenti rationem evectum est. Materia remota sunt Personae habiles ad contrahendum, proxima mutua corporum Traditio; quin ad hujus Sacramenti substantiam aut actuale conjugum carnale commercium, aut in ipsum consensus requiratur. Minister hujus Sacramenti solus Sacerdos est; forma benedictio sacerdotalis conjugibus impertita. Virorum simultanea pluralitas à naturae legibus abhorret; uxorum, vero, Antiquis Patribus in lege veteri usitata, atque permessa fuit, si Lamechum demas, qui primus eam invexisse dicitur; in Lege gratiae numquam licuit, numquam licebit. Vinculum Matrimonii indissolubile semper extitit; *quod si Moyses permisit dare vobis libellum repudii, dicimus, protervia male morati Populi coactum permisisse bene rem non bonam, metu majoris mali.* (a) De impedimenti, effectibus, ritibusque rogatus.

### De Divina Gratia.

#### XXX.

**D**ifferuimus hactenus de Sanctissimis novae legis Sacramentis, *per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur;* (b) postulat ergo methodi recta ratio ut de gratia ipsa sermonem instituamus. Triplicem extitisse statum, & hominis innocentis, & lapsi, ac denum per Christum reparati compertum est, triplici huic statui, tres alios mente conceptibiles opponunt Theologi; statum, nempe, naturae integræ, naturae puræ, & naturae non reparandae; primos fore

(a) S. Joann. Chrysof. apud P. Berti, *Lib. 37. cap. 12. prop. 16.*

(b) *Concil. Trident. Sess. 7.*



impossibiles, innatum naturæ rationalis pondus, quo ad Dei intuitivam fertur expetendam visionem, satis ostendit, tertii vero possibilitatem, non est cur denegemus. Etsi innumera per peccatum dona perdiderit homo; desipit tamen, qui liberum voluntatis arbitrium aut amissum esse, aut extinctum crediderit, certum est tamen quod nubila est adeo humana mens, vincitaque frænis, ut licet plures etiam practicas naturalis ordinis possit sine gratia consequi veritates, tamen ut omnes assequatur eget proculdubio adiutorio gratiæ; nec sine isto efficere potest opus morale undequaque bonum, nulla ex parte vitiosum: necessaria est pariter actualis gratia ad vitanda peccata, tentationesque, & si leves, ut oportet, superandas ad Deum ipsum super omnia diligendum, & ad omnia legis naturæ præcepta fideliter observanda. Nec fidei, nec bonorum operum initium à nobis est, sed à gratiæ ipsiusmet adiutorio. Singularissimum est divinæ gratiæ privilegium omnia venialia toto vitæ decursu vitare peccata; atque speciale ipsius donum est finalis in bono perseverantia.

### *De multiplici gratiæ acceptione.*

#### XXXI.

**F**Erè omnes gratiæ appellationes accepimus à D. Augustino, *cujus doctrinam de gratia, & libero arbitrio Romanam Ecclesiam sequi semper consuevisse*, Author est Baronius. (a) Dicitur ergo gratia præveniens, & subsequens, operans, & cooperans, excitans, & adjuvans; denique efficax, atque inefficax, istæ omnes facile percipiuntur; sed omnium celeberrima gratiæ actualis divisio est, in efficacem, & sufficientem, prima dicitur illa, quæ semper cum effectu conjuncta est; seu quæ dat velle & operari, & tantum velle, ut contrariam vincat concupiscentiam; secunda est quæ dat posse, non tamen velle, nisi illud sit adeo invalidum, & imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non superet. Datur in statu naturæ lapsæ gratia illa efficax ab intrinseco, cujus efficaciam à quadam delectatione relative victrici cum Augustino repetimus; efficax gratia gradibus, non entitate ab inefficaci secernitur. Auxilia sufficientia quæ piissimus Dominus pro omnibus instituit, præparavitque,

---

(a) Baronius, in *Epist. ad Archiep. Vienn.*



que, nonnullis aliquando defunt propter ipsorum demerita: Immerito ad fidei dogmata pertinere arbitrati sunt aliqui, quod auxilium sufficiens omnibus reipsa conferatur. Gratiae divinae collatio necessaria non est ad imputationem peccati. Urgente præcepto iustis volentibus, atque conantibus non denegat Deus gratiam sufficientem, qua possint illud implere, aut saltem petere auxilium necessarium ad illud exequendum. Infidelibus negativis plerumque gratia sufficiens ad credendum denegatur, nonnullis etiam in scelera damnabili obstinatione firmatis, quin & aliquibus infantibus immatura morte præventis.

### De Gratia Habituali.

XXXII.

**N**emo unus ignorat quod justificatio est interior animæ nostræ renovatio, qua ex peccatoribus, quales prius eramus, Deo accepti, amique reddimur; hoc in nobis efficit iustitia Dei, non qua ipse iustus est; sed qua iustos nos facit: hæc porro permanens iustitia, sive habitualis gratia his verbis aptè describitur: *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, per quam sibi inhaerentem homo consequitur peccatorum remissionem, animæ sanctificationem, fitque hæres secundum spem vitæ æternæ* Peccatum nec de potentia Dei absoluta consistere simul potest in anima cum gratia. Adultus ut iustus fiat libero ipse cooperatur arbitrio. Fides quæ homines ad justificationem disponit non excludit timorem, odium, & detestationem peccati, spem promissorum, aut Dei inchoatam dilectionem. Tandem contra Theodorum Bezam, atque hujus furfuris homines dicimus, quod à quocumque homine etiam si ex electorum numero ille sit, per patratum mortale crimen gratia deperditur: Iustitiæ habitualis augmentum homo fideliter cooperans actualibus auxiliis, potest promereri etiam de condigno; primam vero vocationem ad fidem nec de condigno, nec de congruo valet homo sibi promereri. Finalem perseverantiam possunt iusti de congruo promereri, de condigno minime.

### De Prædestinatione, ac Reprobatione.

XXXIII.

**P**rædestinare apud Latinos idem sonat ac aliquid præordinare: à Theologis communiter usurpatur pro actu voluntatis

E

divi-



divinae, quo Deus ex omni aeternitate constituit certas Creaturas ad vitam aeternam gratiae suae ope perducere: definitur à S. Augustino: *Præscientia, & preparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Prædestinatio ad gratiam gratuita est, & omnem meriti prævisionem antecedit. In statu naturæ lapsæ prædestinatorum electio ad gloriam à sola Dei miserentis sit voluntate absque ulla meritorum prævisione, qua propter prædestinatio ad gloriam ordine intentionis præcedit prædestinationem ad gratiam. Sanctorum prædestinatio infallibilis est, quin aliquam ipsis fatalem imponat necessitatem. Numerus electorum viatoribus penitus est inexplorabilis; non desunt tamen aliqua prædestinationis nostræ signa piè credibilia, quæ si poposceris dabimus. *Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est;* (a) hinc horrendum Calvinii dogma de positiva reprobatione, tanquam Deo injuriosum execramur; reprobatio negativa seu non electio habet ex parte hominum rationem aliquam, originale, scilicet, peccatum: proprii reprobationis effectus sunt auxiliorum subtractio, permissio peccati finaliter non remittendi, ipsa denique aeterna damnatio. De reprobationis indiciiis, & scala perditionis, in arena.

### De Deo Sanctorum Glorificatore.

XXZIV.

**B**eatitudo hominis ex Boetio est, *status omnium honorum aggregatione perfectus.* Inest Creaturis rationalibus ad intuitivam Dei visionem appetitus naturalis. Defacto videtur Deus ab intellectu creato lumine superno illustrato, qui sine illis videri non potest; tanta quidem intercedit inter Deum creatamque mentem distantia ut nequidem de potentia absoluta divinam valeat essentiam comprehendere. Beatitudo formalis in utroque visionis fruitionisque actu reponenda est. Quocumque etiam addito superno lumine Dei natura ab oculo corporeo conspici non poterit. Lumen gloriæ est habitus creatus animæ insus intellectum elevans ad Deum videndum. Deus non videtur à Beatis media aliqua specie impressa creata; speciem vero, quæ verbum dicitur

(a) S. August. Lib. 3. contra Julianum, cap. 18.



etur mentis Beati exprimunt. Videntur simul cum divina essentia, reliqua omnia attributa, & quæ cum ipsa identificantur, adeo ut nec de potentia Dei absoluta, aut essentia sine attributis, aut una Persona sine alia videri possint. Satis probabile est Moyfi, & Paulo, dum adhuc in humanis agerent, divinæ essentia visionem fuisse ad tempus concessam, sed & modo N. P. Elias, & Enoch intuitiva Dei perfruuntur visione. Commentitium est Christi regnum à Cerintho excogitatum, vel etiam prout à Papia purgatum. Sanctorum animæ quibus nihil expiandum super est Dei visione in cœlis absque ulla mora fruuntur reliqua in Palæstra.

### *De Cultu Sanctorum.*

XXXV.

**C**ultus sive adoratio religiose accepta duplex agnoscitur: prima, quæ dicitur stricte, & rigorose talis; altera vero, quæ lato modo adoratio nuncupatur; per primam colitur Deus cui competit infinitæ, & omnimodæ plenitudinis excellentia; per alteram coluntur creaturæ Deo appropinquantes. Dividitur etiam adoratio in Latriam, Hyperduliam, atque Duliam. Prima soli Deo competit propter ejus infinitam, atque ineffabilem dignitatem; tertia redditur sanctis, ob supernam, quæ ex Dei munere fruuntur, excellentiam; secunda vero Beatissimæ Virgini tribuitur, quæ cum sit Dei Mater specialissimam habet, atque individuum supra sanctos quoscumque reliquos, excellentiæ dignitatem. Denique datur cultus absolutus, & relativus de quibus roga, necnon & de Hagiomachorum, & Iconomachorum historia.

### *De Deo finaliter judicaturo, & criminum vindice.*

XXXVI.

**S**igna quæ Christi Domini secundum præcedent adventum alia remote, alia proxime innuent instantem judicem, jamque imminentem prænuntiabunt Mundi hujus spectabilis dissolutionem, de quibus illud Christi prænuntiantis intelligimus: *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c. (a) In Christi Ec-*

(a) Lucæ 21. vers. 45.



clesiam extrema Mundi aetate hominum nequissimus debaccabitur re, operibus, & pseudoprodigiis Antichristus; neque ex virgine nasciturum, aut demoniacam in eo hypostasim futuram, aut à Dæmone incubo progenitum credimus, hæc enim omnia ad aniles fabellas amandamus. Amplissimam futuram ejusdem sequacium multitudinem, potissimam orbis terrarum partem tyrannice devicturum fore, ex sacris litteris colligitur; ejus autem regnum per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est per tres annos cum dimidio duraturum, S. August. interpretatur. (a) Tandem N. S. Pater Elias, & Enoch dira ejus sæviente persecutione advenient prophetaturi diebus mille ducentis sexaginta, & cum finierint testimonium suum bestia vincet illos, & occidet eos; martyriumque subibunt; sed post tres dies & dimidium resurgent, urbs contremiscet, tertiaque corruiet civitatis pars: post hæc Dominus Jesus interficiet impium spiritu oris sui; venietque hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.

Quid autem de hodiernis cavillatoribus dicemus? qui se vulgo *spiritus fortes* appellari volunt, quoniam ut prædixerat de illis S. Augustinus: *Fortissimos se jactant, & nihil omnino timere se dicunt, neque dæmones, neque inferos;* (b) sed ii omnes & naturæ testimonio & omnium Gentium consensione reffelluntur: Impiis ergo post mortem dira supplicia supersunt. Dæmones statim ac peccavere ad ima tartara sunt detrusi, ibique modo etiam ante ultimum judicii diem, damni & sensus poenas luunt acerbissimas. Impiorum animæ statim ac illæ à corporibus excedunt damni & sensus tormenta perferunt in inferno; quomodo autem in spiritum potest agere ignis corporeus? puto, quod quatenus ipsi insolubiliter alligantur, & tamquam perpetuo carceri mancipantur. Origenianam vero Apocatastasim, tamquam Platoniam fabulam rejicimus, quoniam nec injustum est, nec divinam lædit bonitatem, impios addicere æternis cruciatibus.

(a) S. August. *Lib. 20. de Civit. Dei, cap. 23.*

(b) S. August. *Serm. 349.*